

Anno clō lo XXX. passus est. Ipse postmodum plurimos fecit discipulos, & in his Mennonem, tum Pontificiis adhuc additum sacris, cui potestatem dedit ubique terrarum verbum praedicandi. Quod factum est, A. clō lo XXXVI. Menno quidem demandatum sibi munus strenue obiit, varias peragrando regiones. Sed Vbbonem Philippi graviter eius rei poenituit, auctorque Mennoni fuit, ut ab inceptis desisteret. Publice palinodiam edidit, quae cum Confessione A. clō lo LXXXIV. nec non clō lo c IX. iunctim prodiit. Hornbeckio in Summa Contr. L. VI. p. 380. *ingenuum hoc dicitur rarumque apud istud hominum genus exemplum.* Quibus autem se addixerit, post palinodiam, partibus, non adeo liquet. Florimundus Raemundus, illum ad Catholicos, Hornbeckius ad Libertinos transisse, putant. Haec interim procul omni dubio est causa, quam obrem Menno deinceps negaverit, se ab Vbbone Philippi missum esse. Mortuus est A. clō lo LXVIII.

§. XL. STEPHANVS PRAETORIVS, Minister Ecclesiae Soltquellensis, variis libellis Fanaticismi sese suspectum fecit. Notatus eam ob causam est a nonnullis Theologis, nominatim Godofredo Oleario, nec non Conrado Tiburtio Rangone, qui A. clō lo c LXXXIII. in Admonitione, Wittebergae edita, erroneas Praetorii sententias detexit, quas tum nonnulli revocabant, & in his imprimis Henricus Ammersbachius. Quorum conatus ideo notari debebant, quod talia commendarent, quae ipse Praetorius dudum improbaverat. Is enim ea, quae in scriptis suis passim Scripturae, fideique analogiae, minus conformiter docuerat, ingenue revocavit. Quod quidem negat Anonymus, qui adversus Rangonem veritatis vindicias edidit. Ast res nimis clara est, quam suo etiam calculo confirmat ipse Spennerus, in *der Ubereinst.* P. I. Art. VI. §. XXX.

§. XLI. CHRISTOPHORVS ANDREAS RASELIVS, Ratisbonensis, & Ecclesiae Immenkuppelensis Antistes, uti se nominabat, ordinatus. Varios edidit libellos, errorum Fanaticorum plenissimos. Quos cum passim sub examen vocaret Ministerium Tripolitanum, in *ausführlichen Bericht von denen neuen Propheten*, libro, solide conscripto, & , paucis abhinc annis, cum